



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Lugdunensis incendij miseranda calamitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

plures, totis voluminibus, tradiderunt. E quibus tamen non libet, hunc librum distendere; placet tamen bonam partem apponere, ex epistola Senecæ Liberalem consolantis, post urbem patriam eius incendio absumptam. Ex ea epistola hominis Ethnicus, licet cognoscere, *Fortuna muneribus utendum, non fidendum*; quia, *leuis magnas opes huc fert & illuc casus*; nec homines tantum, sed totas vrbes abolet. Licet item ex ea epistola discere, qua mentis æquitate, Christiano aduersa sint toleranda, si diuina Religionis luce destituti, cum quaterentur, tam fortiter steterunt. Apparebit etiam, miserum esse, quisquis felicitatem sperat à miseris. Denique constabit, qua ratione animus sit, contra Fortunam, muniendus, qua perinde ut quisque vititur, ita præcellit. Sic ergo scribit Seneca:

II.
Senec. lib. I.
epist. 91.

Liberalis noster nunc tristis est, nunciato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Mouere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patrie sue amantissimum. Que res efficit, ut firmitatem animi sui quarat, quam videlicet ad ea, que timere posse putabat, exercuit. Hoc verò tam inopinatum malum pene inauditum, non miror si sine metu fuit, cum esset sine exemplo. Multas enim ciuitates incendium vexauit, nullam abstulit. nam etiam ubi hostili manu in tecta ignis missus est, multis locis deficit, & quamuis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, ut nihil ferro relinquat. Terrarum quoque, vix unquam tam grauis & perniciosus fuit motus, ut tota oppida euerteret. Nunquam denique, tam infestum vlli exarsit incendium, ut nihil alteri superesset incendio. Tot pulcherrima opera, que singula illustrare vrbes singulas possent, vna nox strauit, & in tanta pace, quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. Quis hoc credat? ubique, armis quiescentibus, cum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quaritur. Omnibus fortuna, quos publicè afflixit, quod passuri erant, timere permisit. Nulla res magna non aliquod habuit ruinae suae spatium. In hac, vna nox interfuit, inter urbem maximam, & nullam. Denique, diutius illam tibi perisse, quam perijt, narro.

III.

Hac omnia Liberale nostrum affectum inclinant, aduersus sua firmum & erectum, nec sine causa concussus est. Inexpectata plus aggrauant. Nonitas adycit calamitatibus pondus: nec quisquam mortalium non magis, quod etiam miratus est, doluit. Ideo nihil nobis improvisum esse debet. In omnia premitendus est animus: cogitandumque, non quid quid solet, sed quidquid potest fieri. Quid enim est, quod non fortuna, cum voluit